



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Liborii Episcopi, Calculo Laborantium Patroni

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1648

Vita Antiqua Auctore anonymo, & veteri MS. Legendario Eccl. Cenom.
eruta à Lud. Cellotio Societ. Iesv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9573

VITA ANTIQVA

Auctore anonymo,

*Ex veteri MS. Legendario Eccl. Cenom.**eruta à Lud. Cellotio Societ. IESV.*

I.



*S. Liborius,
Dei prou-
dentiâ, eli-
gitur Epi-
scopus,*

Benedictus Dominus, qui non derelinquit sperantes in se, nec deest ijs qui eum diligunt in veritate: quibus ne aliquando desit misericordia Saluatoris, aduersitatibus sæpè consulitur, sæpè prosperitates blandiuntur, sæpè etiam sacratissimo- rum Præsulum prouidentiâ subuenitur: Pastor quippe optimus suis ouibus prouidere minimè dedignatur, qui ouem perditam & quærere dignatus est, & inuentam ad ouile proprijs humeris reportare. Vnde post felices S. Pauacij transitus ad regnum cælorum, ne oues sine pastore procul à vitæ pascuis vaga- rentur, S. Liborius à Domino Cenomanicæ vrbi Pontifex extitit subrogatus. In cuius ele- ctione populus nequaquàm ab altiori consi- lio declinauit; cùm nihil videretur in eo, quod vel homo reprehenderet, vel oculis summi Iudicis displiceret. Nec est facile dicere, qua- lem aut quantum se exhibuit Episcopum, qui

Vir sanctus

ante

ante susceptam dignitatem se totum fecerat
totius Christianæ religionis exemplum.

2. Hic itaque vir beatus, natione Gallus,
liberalibus disciplinis eruditus, sed eruditior *& doctus*
moribus, tantò suis subditis gratiori præfuit
regimine, quantò maiori desiderio æstuabat
æternorum dilectione. Nam vultus eius gra- *præclare*
ta modestia profundam humilitatem præten- *regit:*
debat: Psalmorum autem modulatio deuo-
tionem maximã testabatur; frequenter enim
pauperum angustias suspirabat, & angustijs
pauperum consulere non cessabat, qui im-
pensiore studio & diuini cultus zelo per maxi-
mo decem & septem ecclesijs in suâ diœcesi, *ecclesijs*
suis proprijs sumptibus, Dei & quorundam *edificat:*
Principum fultus auxilio, ædificari præcepit:
quarum quidem census permaximos ad lu-
minaria sanctæ matris Ecclesiæ soluendos an-
nis singulis destinauit.

3. De meritis autem beatissimi Patris No- *claret mira-*
stri Liborij ne mundus tamquàm nescius du- *culis,*
bitaret, per eius intercessionem & meritum
Dominus cæcis tribuit visum, surdis auditum,
ab obsessis corporibus expellit dæmonia, ce-
terosque varijs debiles incommodis optatæ
restituit sanitati. Et quod veræ religioni non
parumper alludebat, Beatissimo Martino Tu- *S. Martino*
ronorum Archiepiscopo eousque familiaris *familiaris*
semper & carus extitit, vt eius alloquio fre-
quenter perfrui mereretur; & tamquàm eximia-
rum virtutũ eiusdem perfectissimus imitator,

illius sacris adesse consilijs, ac eius iugi benedictione meruit confirmari.

*à quo ager
visitur*

*in cilicio
cubans,*

*ac mortuus
sepelitur,*

*a
b*

4. Appropinquans autem venerabilis ille Pater Noster Liborius ad terminos vniuersæ carnis, felici iam senio candidatus, & sacrâ militiâ consummatâ fessos artus & naturam fragilem profitentes cilicio & cineri commendauit. Priusquàm tamen locupletem virtutibus animam suo transmitteret Creatori, ab illo vnico visitatore pauperum Christi, beatissimo Martino meruit visitari: qui Angelicâ reuelatione venit ad Pontificis exequias, comitantibus scilicet suis sanctissimis discipulis; in quorum comparatione sanctior Magister elucebat. Et ingressus domum inuenit eum iam totum in cælis inhiantem, iam futuram & æternam mercedem suspirantem, iam lecto humili solis artibus strato cilicio recubantem; cui cum supremum & primum vitæ consilium tribuisset, & sacratissimâ benedictione confirmasset, inter venerabiles manus sancti Pontificis spiritum beatis securum meritis ad superos destinauit. Nec tamen illud singulare donum in terris, illudque vnicum decus Ecclesiæ Beatissimus Martinus dereliquit, priusquàm felicibus membris sepulturæ debitum diligenter impenderet, & in *a* ecclesiâ beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum supra *b* Sartham fluium constitutâ, obsequio quo decuit, magnâ cum reuerentiâ collocaret: vbi inter sacratissimos præde-

prædecessores suos gloriosus ille Pastor ex-^{miraculis}
cellenter humatus, beneficia quæ copiosè ^{post obitum}
contulerat in seculo viuens, copiosius contu-^{clarus.}
lit in sarcophago requiescens. Præfuit autem
Ecclesiæ Cenomanensi annis quinquaginta,
vno minùs; & præsentis miseræ cursu felici-
ter consummato, quinto Idus Iunij requieuit
in Domino Iesu Christo, cui laus est & gloria
per omnia secula seculorum, Amen.

a *Eam Ecclesiám sitam fuisse scribit Antonius
Coruasserijs, circa locum ubi nunc cœnobium S. Iu-
liani de Prato, sanctimonialium Ordinis S. Bene-
dicti.*

b *Sarta s̄ alluit Alancionem, siue Alençonium;
deinde metropolim Cenomanorum adit, Ptolemao (v̄
putant) Οὐίνδιον, Vindinum, vel VVindinum, vulgà
nunc Le Mans dictam: infra quam Huinæ, siue
Huini fluuio miscetur: vterque postea Meduanæ.*